

deneganda absolutione iis qui talem coelum ingrediantur : si enim res evidens non est, ab aliis sacerdotibus contraria sententia tenebitur, atque e tali dissidio pastorum nascentur scandala fidelium et contemptus sacramentorum. Generatim tamen enixe hortandi erunt poenitentes, ii praesertim qui de ea re interrogaverint, ne ingrediantur societas aliquatenus suspectas : quotiescumque enim vel secretum quaerit societas vel ducum spiritus malignus esse noscitur, plurimum timendum est ne lateat anguis in herba.

SECTIO V. — DE QUINTO PRAECEPTO.

360. Quintum Decalogi praeceptum formaliter negativum est, ut patet ex ejus formula : " Non occides. " (Ex. XX, 13) Prohibet igitur *primario* homicidium seu quamlibet injustam hominis occasionem; *secundario* omnem injustam laesionem corporis proprii vel alieni, ut vulnerationem, mutilationem, etc. At, quoniā mors etiam per meram omissionem curae necessariae inferri potest, hinc idem praeceptum est virtualiter quoque positivum et praecepit ea quae necessaria sunt ad servandam vitam propriam vel eorum quorum curam temporalem unusquisque gerere debet.

Potissimum tamen insistendum erit officiis negativis : quippe quae gravioribus peccatis et difficilioribus dubiis ortum dare solent.

CAPUT I.

DE SERVANDA VITA PROPRIA.

§ 1. DE PROPRIA VITA NON LAEDENDA.

361. I. Suicidium in se seu directe voluntarium est graviter illicitum, excepto tantum casu quo homo dominum in propriam vitam a Deo acciperet vel (probabiliter) ab auctoritate civili justam mortis sententiam in se exequendi licentiam haberet.

Suicidium in se voluntarium hic sumimus eo sensu quo dictum est n. 10, nempe ita ut mors appetatur immediate in seipsa, tamquam finis vel etiam tamquam medium ad aliquem alium finem, puta ad vitandam mortem atrociorum.

Ratio potissima ob quam suicidium *generatim prohibitum* est, desumitur ex injurya quam infert Deo qui solus est directus et absolutus humanae vitae dominus. (2. 2. q. 64. a. 5) Cfr. philosophos morales fusius agentes de hac veritate, quae, licet e christiana doctrina certissima sit, non ita facile, saltem in sua universalitate, demonstratur.

Prior exceptio, vid. pro casu quo homo dominum in propriam vitam a Deo acciperet, per se patet (n. 34) et a multis adhibetur ad explicandum quomodo aliqui Sancti, ex. gr. S. Apollonia, seipsos occiderint ut ostenderent animi promptitudinem in suppliciis vel periculum castitatis evaderent. Alii autem divinam hanc inspirationem gratis asseri autumantes, rectius eadem facta explicitant per ignorantiam invincibilem, quae in tali argumento facile adesse potuit : siquidem non est tam evidens directam illam sui occasionem esse illicitam, etiam ad servandam castitatem aliave bona magni momenti. (n. 131; Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 9. n. 23)

Posterior exceptio, vid. pro casu quo reus ab auctoritate civili justam mortis sententiam in se exequendi facultatem haberet, a plerisque AA. (ex. gr. Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 12) rejicitur ob rationes varias, quarum nulla stringens videtur. Nos eam saltem probabilem censemus cum Vasquez, Elbel aliisque AA. quos citat, neque improbat S. Alph. (n. 369). Praecipua ratio est quod, quando homo ob causam justam a legitima auctoritate damnatus est, judex (spectato jure naturali) cuilibet committere potest sententiae executionem; ergo eam etiam reo permettere potest, non tamen imperare, siquidem id nimis inhumanum foret. Neque appareat quomodo secum constent AA. id negantes et tamen concedentes reo ut ipse sumat venenum, si hac ratione perire jussus sit : nam non minus se interimit qui venenum stomacho infundit quam qui pectus gladio transverberat. Inefficax quoque est ratio cui innititur Lugo (l. c.) : neminem posse exercere justitiam punitivam in seipsum, quia justitia debet esse ad alium : siquidem nihil impedit quominus idem duplum personam agat, punientis et puniti, ut notat Palmieri. (Ball. P. n. 29) Sic, licet jurisdictione per se sit ad alium, Papa tamen secum in voto dispensare potest.

362. II. Licet aliquid de se indifferens facere ex quo sequatur mors propria, sed saltem aeque immediate aliis effectus bonus, dummodo mors non intendatur et adsit ratio sufficiens ad effectum malum permitendum. Sed graviter illicitum est, ubi non urget causa gravis boni

privati vel communis, aliquid agere quod proximum vel probabile mortis propriae periculum indueat.

Asserti istius pars prior non est nisi applicatio principii in tract. de Act. Hum. (n. 14) demonstrati. Posterior pars manifeste deducitur ex Asserto I. Qui enim sine causa proportionata illud agit e quo novit vitam suam in proximum periculum venturam esse, aequivalenter se ipsum interimit, vel, si mors probabiliter tantum secutura est, temere se notabilis suicidii periculo exponit. Hinc :

1º Possunt milites pulverem bellicum inflammare ad perdendos hostes, vel navem incendere aut submergere ne hostes cum gravi Reipublicae damno ea potiantur, etsi certo praevideant se simul perituros esse : ratio enim magni *communis* boni assequendi vel damni vitandi preponderat amissioni vitae privatorum. Idem autem non licet ad vitandam servitutem vel mortem quam hostes inferrent, vel ad impediendum quominus navis aliave bona in hostium manus venirent, nisi simul adasset gravis ratio boni communis vel aliqua spes, etiam modicissima, vitandi mortem (Ball. P. n. 23)

2º Licet in naufragio cedere alteri tabulam quam jam arripueris, quamvis, ob natandi imperitiam aliasve rationes, certo sis periturus. (S. Alph. n. 366) Immo sic tradere seipsum morti propter amicum a S. Th. (in 3. d. 29. a. 15. ad 3) dicitur perfectissimus actus virtutis : unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem. Censet quidem S. Alph. (l. c.) naufragum non posse, ad tabulam cedendam, se projicere in mare, quia nemo potest se positive occidere. Id tamen subtilius dictum videtur : nam, ut advertit Ball. P. (n. 25), projectio sui in mare est necessarium consequens concessae tabulae ; unde, si non licet prius, nec posterius licebit.

3º Licet se ex alto praecipitem dare, cum certo mortis periculo, ad fugiendum incendium vel mortem atrociorum quam homo nequam inferre velit. Non licet tamen te ex alta turri praecipitem dare si tyrannus id exigeret, secus diris te suppliciis afflicturus : quamdiu enim malum nondum actu infertur, actio se praecipitandi non esset fuga et defensio, sed vera sui occisio quae eligeretur ut medium ad atrociora mala evadenda : quod illicitum est. (n. 361) Idem licet reis detentis in carcere ad evadendam certam sententiam mortis vel etiam carcerem perpetuum, dummodo adsit aliqua spes mortem evadendi. (S. Alph. n. 367)

4º Licet virginis se exponere certo mortis periculo ad servandam integritatem corporalem, etiamsi rationabiliter praesumeret se non esse consensuram. Probabile autem est eam ad id non teneri, modo absit proximum consensus periculum : nam pati stuprum est cooperatio mere materialis, cui praestandae datur motivum gravissimum, nempe vitandum mortis periculum. (S. Alph. n. 368 ; Ball. P. tr. 1. n. 121)

5º Licet, ob justam causam, se sistere tyranno a quo quis novit se injuste interfectum iri : qualis causa foret trepidantibus in fide animum addere, grave scandalum cohibere, etc. Ubi enim causa proportionata adest, cessat generalis obligatio propriae vitae conservandae et alieni peccati impediendi. (Ball. P. n. 31)

6º Peccant graviter qui, unice luci faciendi gratia, vitam probabilem periculo exponunt, ex. gr. feras excitando, exercitia gymnastica valde periculosa obeundo, jejunium ex sponsione diutissime protrahendo, Quodsi periculum istud ob artem vel experientiam satis removeretur, de peccato gravi non constaret. Cfr. S. Alph. n. 369.

363. III. Licet assumere labores vel vivendi genus ob quae probabile est vitam, etiam pluribus annis, minuendam esse, dummodo ex justa causa fiat et absit proximum mortis periculum ; quodsi justa causa desit, periculum tamen remotum maneat, id culpam levem non excedit. Nulla enim datur obligatio abstinendi ab omnibus rebus quae vitam coartare valeant ; immo humanae condicioneis necessitates vel utilitates videntur postulare ut, intendendo finem bonum, permitti possit diminutio vitae satis notabilis. (Ball. P. n. 34 seqq.) Hinc :

1º Nullatenus peccant operarii qui labores utiles assumunt, quibus vacantes vix umquam ad senectam perventuri sint, ut vitrum conflantes, metalla hydrargyro inaurantes, regionem valetudini nocivam petentes, etc.

2º Non peccant qui carnem moderatis poenitentiis affligunt, etiamsi propterea exspectare debeant vitam breviorem ; graviter autem peccaret, per se et abstrahendo ab ignorantia excusante, qui tantas poenitentias assumeret ut se in proximum mortis periculum conjiceret.

3º Leviter peccant qui excessivo potu vel cibo probabiliter vitam coartant, dummodo se non injiciant in proximum periculum mortis vel gravis morbi.

IV. Mutilatio, seu actio qua membrum aufertur, per se graviter illicita est, excepto tantum casu quo ad conservationem totius corporis necessaria est. Ratio est, quod homo non habet membrorum suorum dominium : ideo, nisi materiae parvitas excusat, ut in amputanda particula digiti minimi, graviter laeditur jus Dei in corpus nostrum. Exceptionis ratio est : quod partes postponi debent conservationi totius, ideoque homo, ut membrorum administrator, unum ex illis ad totius salutem abscindere potest. Hinc :

1º Non licet abscindere pollicem ad vitanda pericula, etiam spiritualia, quae in militia subeunda imminent. Nam "saluti spirituali [semper] potest aliter subveniri quam per membra praeccisionem ; quia peccatum

subjacet voluntati „(2. 2. q. 65. a. 1. ad 3); periculum autem corporale nonnisi remotum est. Quodsi aliquae sanctae virgines se mutilaverunt ad pericula castitatis evadenda, id explicetur ut supra dictum est de iis qui se directe occiderunt. (n. 361)

2º Non licet se castrare ad conservandam castitatem vel sedandas tentationes, ob eamdem rationem (S. Th. l. c.), cui addi potest medii ineffacia: siquidem homo etiam impotens multis temptationibus carnibus obnoxius manet. (Ball. P. n. 43) Liceret autem, ut fit quandoque, testiculos morbo infectos abscindere ad vitam servandam. De castratione feminea seu ovariorum ablatione dicetur in tr. de Matrim. Vol. II. n. 503.

3º Peccant parentes qui filios, etiam consentientes, castrant ut, vocis suavitate servata, lucrum majus faciant. (Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 23) Si enim castratio illicita est ad consequenda magna bona spiritualia, puta immunitatem a gravibus animae periculis, multo magis illicita est ad bona mere temporalia consequenda. Quare omnino relinquenda est quorumdam AA., quos citat S. Alph. (n. 374), sententia contraria.

§ 2. DE POSITIVA CURA VITAE PROPRIAIE.

364. I. Unusquisque tenetur propriam vitam conservare *mediis ordinariis et statui suo congruentibus*: nam qui talia media adhibere nollet, aequivalenter semetipsum occideret. Idem dicendum de servanda propria valetudine vel membrorum incolumitate. Quare peccaret qui respueret media non extraordinarie difficultia, quibus se a morbo gravi vel ab amittendo membro tueri posset. Levem tamen aegrotationem, ob rationabilem causam, curare nolle, peccato vacat: cum positiva proprii corporis cura non tanto rigore urgenda sit, ut a fortiori concludere licet ex iis quae supra (n. 363) de vitae deminutione, ob bonum finem permittenda, dicta sunt.

II. Nemo tenetur *media nimis difficultia vel extraordinaria* adhibere ad vitam, membrorum integritatem vel sanitatem servandam: leges enim positivae universim non jubent talibus mediis uti. (n. 114) Hinc:

1º Nemo, etiam ditissimus, obligatur ad sedem in alia regione ponendam, vel ad balnea longinqua adeunda, etiamsi aliter vitam protrahere nequeat.

2º Nullus tenetur *magnam* mutilationem vel chirurgicam operationem cum vehementibus doloribus conjunctam subire, etiamsi vitam aliter servare non posset. Immo, etiamsi vehementes dolores arceri possunt, quemadmodum fere contingit nostris diebus, non putamus in eodem casu obligari ad magnam operationem subeundam eum qui eam vehementer

horreat. Nam ipse hic horror extraordinariam difficultatem gignit (Lehmk. I. n. 572), et urgeri potest paritas cum casu virginis, quae, juxta plerosque DD. (S. Alph. n. 372), non tenetur subire manum medici vel chirurgi, quando tales contrectationem magis quam ipsam mortem horret. Adde: saepe manere prudens dubium de successu, praesertim stabili, magnarum operationum. Per accidens posset aliquis obligari ad mutilationem vel chirurgicam operationem subeundam, nempe si persona quaedam bono aliorum, puta familiae vel Status, esset valde necessaria et successus moraliter certus. Posset quoque pater aliusve Superior jubere filium subditumve, bono aliorum necessarium, ut pateretur operationem cujus dolor valde moderatus et successus moraliter certus foret, sicut jam, ob scientiae chirurgicae progressus, in dies crebrius contingit. Verum, deficiente aliqua ex his condicionibus, non videtur res tam ardua praecipi posse. (Lugo, l. c. 21)

365. III. Ex officio vitae mediis ordinariis tuendae oritur in plerisque hominibus obligatio *sustinendi laboris* viribus proportionati: seu "exercendi se rerum comparandarum causa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae." (Encycl. de condic. opif.) Haec enim est praesens humani generis condicio ut plerique, nisi in laborem incumbant, vel omnino vitam atere nequeant, vel saltem careant ea copia subsidiorum (alimentorum, vestium, etc.) quae ad temporalem felicitatem et intellectualem evolutionem, dignitati naturae humanae maxime consentaneas, necessaria est: quod luculenter comprobatur miserrima condione gentium quae solis terrae fructibus otiosam vitam ducunt, etiam in iis regionibus quae natura sua feriores sunt. In hoc sensu recte dicitur lex laboris promulgata Gen. III, 19: "In sudore vultus tui vesceris pane." (1) Perperam vero eadem verba interpretaremur, quasi singulis hominibus, independenter a necessitate in qua versentur, obligatio laborandi imposita fuisset. Neque Apostolus (1 Thess. IV, 11; 2 Thess. III, 10) opus manuum, seu labore aptum ad victimum comparandum, preecepit nisi ad excludendum peccatum eorum qui illicite victimum acquirebant, ut observat S. Th. 2. 2. q. 187. a. 3.

(1) His verbis felici et praeternaturali condicioni, qua humanum genus in statu innocentiae gavisum esset, ut vid. paradisi fructus, vitae alendae abunde sufficienes, facilis gratoque labore obtinuisse, opponitur misera hominis lapsi condicio: ut nonnisi sudore seu arduo labore vitae necessaria consequi possit. Cfr. von Hummelauer. (Comment. in Gen. in h. l.) Hac divina maledictione, naturalem rerum humanarum condicionem declarante, nullatenus prohibetur quominus aliquot homines hac necessitate immunes vivant, sicut simili maledictione: (Gen. III, 16) "In dolore paries filios," minime prohibetur quominus naturales partus dolores humana arte, quatenus fieri potest, sopiantur.

Nulla autem lege praecipitur ut homo labore suo comparet sibi amplissimam illam rerum utilium copiam per quam frui possit iis commodis quae tantum in societatibus valde excultis, plurimum evoluto materiali progressu, reperiri possunt. Tanta enim virium intensio ad comparanda ea quae vitae convenienter ducendae minime necessaria sunt, nimis ardua est quam ut praecipiatur; eo vel magis quod vehemens temporaliu[m] commodorum prosecutio facile hominem a supernaturali fine prosequendo avocat.

Iis igitur qui nulla victus quaerendi necessitate adstringuntur, puta quia in ampla fortunaru[m] condicione nati sunt vel ab aliis benigne aluntur, labor non praecipitur nisi quatenus necessarius est ad alia officia implenda, puta pietatis, caritatis, status propria, et praesertim ad vitanda peccata quae ex otio nasci pronum est. Quam facile ex otio vitia pullulent, cotidiana experientia animarum comprobat, et testatur Ecclesiasticus (XXXIII, 29) : " Multam malitiam docuit otiositas. Manifestum est otio vitando sufficere quamlibet occupationem, sive corporalem, sive spiritualem, sive utilem aliis, sive inutilem. Attamen, si vita fere integra, vel maxima illius pars duceretur in occupationibus mere voluptuariis animus plurimum enervaretur et multis spiritualibus periculis obnoxius maneret : quemadmodum comprobatur vitiis quibus foedari solent fere quilibet homines ludis et recreationibus jugiter intenti.

Nullum vero speciale officium laborandi oritur e nuda ratione utilitatis quam singuli homines societati humanae, cujus membra sunt, afferre debeant. Verum quidem est : maxime optandum esse ut unusquisque tempus quod sibi a necessario labore et moderata quiete supersit, in utilitatem ceterorum impendat. Atque hoc facit quod p[re]aclare docet Leo XIII (Encycl. cit.) : " Quicumque majorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. " Verum haec declarant tantum finem a Deo intentum in majore bonorum copia quibusdam concedenda, minime vero legem strictam, quae durissima foret, ut singuli quidquid temporis, virium etc. propriis necessitatibus supersit, in aliorum utilitatemi conferre teneantur. Neque inutile societatis humanae membrum dici potest ullus homo qui varia officia erga Deum, proximum et seipsum implet : siquidem vitae recte ordinatae exemplis, meritis, orationibus etc. multiplicem utilitatem ceteris conciliat. Strictae obligationes, quae hominem tamquam societatis membrum constringunt, oriuntur e justitia legali seu sociali et caritate. Auctoritas civilis, ad quam pertinet singulos subditos in communem societatis finem dirigere, per leges multa determinat quae a singulis requiruntur ut com-

munis temporalis felicitas sufficienter procuretur, puta dum per tributa partem fructuum laboris sui conferunt, dum militia vel publicis munib[us] funguntur, etc. Ubi sola caritas urget, applicandae sunt regulae generales de quibus dictum est n. 214 seqq.

Haec caritatis obligatio nostris diebus strictius urget quam praeteritis saeculis urgebat : nam, ob nefariam licentiam quae pessimis societatibus et scriptis tribuitur, multo major est necessitas spiritualis qua laborant integrae regiones, civium praesertim rudiorum classes, oppida, etc. Jamvero constans regula est : cum necessitate proximi crescere obligationem succurrendi in iis quibus facultas suppetit. Attamen plenrumque hortationibus potius quam strictis p[re]ceptis impellendi sunt ii qui tempore et dotibus abundant ut in bona opera, puta in spargendas bonas ephemerides, in fovendas societates catholicae etc. incumbant. Sat raro enim constabit singulorum operam necessariam et efficacem esse ad communia damna avertenda ; saepe a gravi obligatione excusabit notabile incommodum quod in opera conferenda subeundum erit. (n. 217) Vehementer tamen hortandi sunt hujusmodi homines ut, ad vitanda pericula otii et dissipationis, potissimum in opera caritatis, in catholicae societates fovendas, in retundendos qua voce, qua scriptis impiorum conatus incumbant : nulla enim ratione efficacius quam operibus caritatis divinae gratiae copiam merebuntur animumque ad excelsiora attollent.

CAPUT II.

DE OCCISIONE MALEFACTORIS.

336. I. Extra casum necessariae defensionis (de quo dicetur cap. III), nemini licet occidere malefactorem etiam notorium, **absque publicae auctoritatis interventu**. Nam occisio illa ad salutem totius communitalis ordinatur, ideoque pertinet ad illos solos quibus committitur cura communitalis conservandae. (2. 2. q. 67. a 3) Insuper patet quot caedibus injustis et perturbationibus ortum daret potestas singulis attributa ad injurias suas, etiam nece, vindicandas. Hinc :

1º Omnino reprobanda vindicta popularis quae in quibusdam regionibus sub nomine " Lynch-law ", aliquando exercetur, (Sabetti, n. 267)

2º Non licet marito uxorem aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas. Ideo Alex. VII damnavit prop. 19^{am} : " Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. " Idem dicit de occidendo adultero, ut patet.